



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. VIII. Hortatur ad sacramenti pænitentiæ vsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

Hortatur ad sacramenti penitentiæ usum.

SVMMVM malorum, filij charissimi, peccatum est, quod animæ vitā extinguit. Si ergo peccatis, caute ne regnet in vobis peccatum, & festinate conuerti ad me, currentes ad balneum pretiosissimi sanguinis mei. Ne probeatis consilia eorum, qui lætantur, cum malè fecerint, & exultāt in rebus pessimis, nec remedium penitentiæ requirunt. Nimiū stulti, & audaces sunt, qui Deum ad iracundiam prouocant, & æternæ pænæ reatum incurrerunt: & tamen, nihil de futuro cogitantes, comedunt, bibunt, & dormiunt, & ducunt in bonis dies suos. Mirū est quomodo subitanam, & improuisam mortem non timent, qui fecerunt sibi Deum inimicum. Quomodo non timent, ne sicut viuentes, sic ira absorbeat eos? Horrendum est enim, incidere in manus Dei viuentis. Certè hi fatui, præsentis vitæ amore capti, oderunt animas suas, quarum remedium

medium non requirunt. Vos igitur filij, si ex humana conditione peccaueritis, ne differatis pœnitentiam: sed planctum, & tristitiam, quæ salutem, secundum Deum, stabilem operatur, assumite. Leprosi si estis, & morti proximi, abstergite lepram balneo sanguinis mei, per sacramenti pœnitentiæ canalem decurrentis: & caro vestra restituetur, sicut caro pueri paruuli: & recuperata candida gratiæ veste numerabo vos inter dilectissimos filios meos. Nec tædeat vos humilis confessionis, quæ in animo contrito, detegitis peccata vestra: breui enim humiliatiōne, & verecundia æternam vitam cōparabitis. Certè modicum est, quod à vobis postulo, si consideretis bona, quæ ibi proueniunt. Grauiorem profectò pœnitentiam ego pro vobis egi, quàm vos ipsi: Si enim appenderentur in statera peccata vestra, & calamitas, quam ego vestri causa pertuli; quasi arena maris, hæc grauior appareret. Prope- rate ergo ad remedium vestrum, & ego suscipiam vos. Verba confessionis humilia, & feruentia proferte, qualia

seruus meus Dauid de peccato admonitus protulit, dicens ex intimis præcordijs, Peccaui. Et ego transferam à vobis peccata vestra: & effundam super vos aquam mundam, atque mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et propter conscientie testimonium luctus vester vertetur in gaudium: secundum multitudinem quippe dolorum vestrorum, quibus afflixistis corda vestra, intimæ cõsolationes meæ latificabunt animas vestras.

CAP. IX.

Hortatur ad sacram communionem.

EGO æterna sapientia ædificaui mihi domum humanitatis meæ, & vt facerem conuiuium pinguium medullatorum, miscui vinum pretiosissimi sanguinis mei, & posui mēsam, ita vt panis conuiuarum esset purissima caro mea. Et postquam instruxi lautissimum conuiuium, non quieui: sed misi ad plateas, & mænia ciuitatis, seruos meos, & inspirationes meas, vt cordibus hominum loquerentur, & dicerent: Venite, comedite panem meum, &